



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 28. Eckii colloquium cum Luthero de Purgatorio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A.C. 1519.
bito in hæc verba palam prorupit, nihil habeo Constantiense Concilium, pace mea Eckius probet, quantum velit, Concilia errare non posse, non errasse, nec errare, teneo tamen, quod hæresis damnari non possint ea, quæ juri divino adversantur; Concilium enim de se non est juris divini, unde nec jus divinum inducere valet.

§. XXVIII.

Eckii colloquium cum Luthero de Purgatorio.

Cochlæus l. 6.
anno 1519.
In septimo colloquio Eckius quæstionem de Purgatorio movens, ex SS. Hieronymi & Augustini testimoniis demonstrabat, post mortem nullum merendi locum esse. Ad hæc Lutherus dixit: *Credo firmiter, imo ausim dicere, scio, purgatorium esse, unde facile persuadeor, in scripturis de eo fieri mentionem.* Fatetur etiam, hanc veritatem in libris Dialogorum, qui S. Gregorio adscribuntur, ex S. Matthæi verbis comprobata esse, dari nimirum peccata, quæ nec in hoc, nec in futuro sæculo remittuntur; unde inferendum, quædam esse peccata, quæ post mortem remittuntur, id vero non alibi quam in Purgatorio fieri posse. His subjunxit, se cuncta in libris Machabæorum contenta velut canonica venerari; mox vero *contradictionis spiritu*, qui omnes passim

passim hæreticos animat, agitatus inges-
 sit, quod allata Ekii argumenta non con-
 vincant, cum primum facile eludi pos-
 sit; eoquod Machabæorum libri, quibus
 secunda ratio innititur, olim Canonicis
 Scripturis non fuerint annumerati. Re-
 posuit Eckius, illos vero nunc tanquam
 Canonicos esse receptos, atque ad com-
 probandam fidei veritatem idoneos. Po-
 stea retulit Concilii Florentini testimoni-
 um, necnon ex S. Augustino demonstra-
 vit, animas in purgantibus flammis nil
 amplius mereri, simulque Luthero osten-
 dit, easdem de sua salute certas esse.
 Ea contentio usque ad matutinum tem-
 pus diei undecimæ Julii perduravit, ac
 Luthero persæpe eandem cramben reco-
 quente, nihil decisum est.

Sæcul. XVI.

A.C. 1519.

§. XXIX.

Disputatio de Indulgentiis.

Eadem die undecima Julii horis meri-
 dianis agitabatur quæstio de indul-
 gentiis, ubi Lutherus omnem hasce gra-
 tias concedendi potestatem Ecclesiæ ab-
 nuere non audebat: earum vero utilita-
 tem Eckius demonstrabat ex Viennensi,
 Lateranensi, & Constantiensi Conciliis,
 necnon ex facto S. Gregorii, qui plus-
 quam nongentis abhinc annis indulgen-
 tias concesserat, hancque veritatem in-

G g 3

super